

h. 91, 14.

11. 222 x 2022837

Y C
6506

LEGES ET STATUTA SCHOLÆ SENATORIÆ AD D. THOM.

Revisa & à Senatu Reipublicæ Lipsiensis pro utilitate & necessitate ejus Scholæ, denuò sancita.

ANNO 215070vías M. DC. XXXIV.
Mense Martio.

GEORGIUS FABRICIUS
ad studiosam juventutem.

*Sis pius, & toto venereris pectore Christum,
Officii facias munera sancta tui.
Observesq; pios Doctores, more parentum,
Atq; sodalitiū membra modestus ames.
In studio nullo deses frangere labore;
Et fugias, si quos senseris esse malos.
Ignavum pravumq; DEI gravi ira sequetur,
Optata a sicutis dona dat atq; pius.*



Lipsiæ excudebat HENNINGUS Köler.





S. Thomas.



CAPUT. I.

De pietate & obedientia discipulorum erga Deum, Patronos & Praeceptores.

L E X I.



UM secundum Paulum Apostolum *seavodax* *ov*, pietas ad omnia sit utilis, promissionem habens hujus & futurae vitae; idcirco Alumni & discipuli hujus scholae, Deum in essentia unum, & trinum in personis, super omnia timeant & diligant, & ab eo uno auxilium & benedictionem in studiis & reliquis vitae suae actionibus petant, & ipsi soli confidant.

2.

Nomen etiam ejus sanctissimum religiose, pie & honorifice in omnibus sermonibus usurpent, illud invocent, adorent, & cum gratiarum actione pro beneficiis quotidie acceptis, laudent & glorificent.

3.

Quam ob causam verbum ipsius sacrosanctum & verè salvificum, inq; sacris literis & doctrina catechetica comprehensum, attenta ejusdem lectione, auscultatione & meditatione, quâ publicè, quâ privatim, legitima item coenae Dominicae usurpatione, ad minimū quatuor quotannis vicibus; devota insuper precum effusione, pro Ecclesiae, ejusq; Ministrorum, Magistratus, parentum & praceptorum salute & incolumitate, quotidie diligenter discant, & exercent.

Contra verò omnes ac singuli ignorantiam & contemptum unius & veri Dei & verbi ejus, ut omnium aliorum peccatorum detestabilissimum; superstitiones item & diffidentiam erga Deum, intermissionem invocationis, adorationis, gratiarum actionis, confessionis & glorificationis; convitia, maledictiones, blasphemationes, execrationes, imprecationes quascunq;, quibus venerandum Dei nomen quoquo modo profanatur; adhuc pejerationes, & vanas Dei attestaciones, mendacia deniq;, dolos & deceptiones quasvis alias, & si quæ sunt præterea à verbi divini præceptis aliena & prohibita, studiosoq; pietatis, & homine Christiano minùs digna, omnibus locis & temporibus, studiosè & seriò fugiant ac detestentur.

Præceptores autem suos, ceu alteros parentes animorum, digno similiter amore prosequantur, eos observent, omnemq; illis reverentiam, honorem & observantiam in verbis, factis & gestibus, sine simulatione exhibeant, docentes dicentesve attentè auscultent, de præceptis doctrinaq; eorum ingenuè & candidè sentiant & loquantur, & deniq; studia etiam sua, vitam & mores ad præscriptum eorum sedulò diligenterq; constituent ac conforment.

Et quemadmodum pietati & obedientiæ maxime conveniens est, ut præceptoribus benè monentibus discipuli, ad unum omnes, libenter pareant & obsequantur: ita objurgationes & castigationes eorum, si quæ instituantur adversus delinquentes, pro conservanda disciplinæ Scholasticæ autoritate, sine contumacia ulla reverenter

exci-

excipiant, illasq; paterni potiùs ac benevoli, quàm à discipulis ab alienati animi indicium esse, certò certius sibi persvadeant.

7.

Aliàs jussa & mandata Præceptorum suo loco unusquilibet fideliter & diligenter perficiat & exequatur, nec sine præscitu & consensu eorum, è Schola, precibus & lectionibus se subtrahat, multo verò minus noctu evagetur & Scholam deferat.

8.

Et grati deniq; sint omnes ac singuli erga Præceptores suos non verborum modò honore, sed ipsius etiam didactri usitati Scholastici stata & debita exolutione; cum omnio dignum sit labores justo compensari precio.

CAPUT II.

*De mutua ipsorum discipulorum inter se invicem
charitate & benevolentia.*

1.

CUM secundum tritum illud diverbium, amicitia Scholastica nulla sit firmior ac diuturnior; ideò pro ineunda ea confirmandaq; universi inter se amicè & placidè, inq; cubiculis suis pacatè, quietè & jucundè, sine omni prorsus tumultuatione vivant.

2.

Quam ob causam alter alteri vel etiam plures sibi invicem offensionum atq; discordiarum causas ne præbeant, & à simulatibus omnibus abstineant, ut ex his nascentes altercationes, rixas, omnisq; generis injurias alias, tam verbales quàm reales, majori studio vitare queant.

A 3,

Nul-

3.
Nullius quoque, siue condiscipuli, siue alterius cuiusdam famam aut corpus lædant; injuriam verò sibi illatam ab altero, nec ipsi per se, nec per alium verbis aut factis ulciscantur, sed querela de his ad præceptores legitime delata, authores indicent, & justam vindicationem Magistratui suo Scholastico relinquunt.

4.
Et quia compertum est, ex conversatione bonorum & ipsos bonos & meliores fieri quotidie posse; igitur pios, probos, morigeros & honestos commilitones suos adament & æmulentur, errantes & peccantes, amice monendo & compellendo, in viam reducant; natu majoribus & melioribus, in primis verò classium suarum præfectis, siue Decurionibus, tanquam superioribus, auscultent; minoribus & imbecillioribus consulant, & hac in re ab omni prorsus arrogancia, fastu & contumelia sibi temperent.

5.
Quod si quis obedire noluerit, illum cæteri indicare præceptoribus tenentur, ut justa animadversione in eum usurpata, deinceps in ordinem iste redigatur, & pro qualitate delicti severius etiam plectatur; & qui ita pio & bono animo aliorum delicta manifestaverint, eos nulla verborum contumelia injuriave à cæteris onerari volumus.

C A P U T III.

De moribus discipulorum

in genere.

Utrumque in Schola accurari solet, & ut discipuli in literis bene proficiant, & ne in moribus turpiter deficiant. Mores autem in primis cum pietate & recta ratione

tione convenient, necesse est. Hinc nihil cogitandum, nihil suscipiendum, nihil dicendum, nihil deniq; faciendum est, quod cum vera pietate & rectæ voluntatis consensione pugnet; & propterea omne scelus flagitiumq; sive ex natura, sive ex prava & perversa consuetudine illud ortum trahat, cane pejus & angue fugiendum, & coercendi sunt impetus & cupiditates juveniles; quæq; de causa hic unusquisq; non minori certè sumptu alatur & sustentetur, animo secum semper circum ferat & consideret.

CAPUT IV.

De moribus in templo.

Templum inire jussi maturè & quidem modestè, ordine servato, sineq; omni strepitu ingrediantur, & non nisi sacris precibus finitis demum egrediantur. Nolumus enim quæquam eo tempore, quo conciones sacræ frequentari solent abesse, vel suæ etiam absentia causam sibi ipsi fingere. Si tamen aliter visum fuerit Inspectori, hyberno præsertim tempore, cum illius permisso, ob inclementiam frigoris Scholam repetere, & sacra ibi tractare poterunt.

In templo autem de loco invicem non pugnent, quin potius ordine consistentes munus canendi, non tam voce quàm pia cordis attentione obeant, & inter concionandum etiam ab omni alia cogitatione & lectione, in primis verò à garrulitate, aliàs pueris valde familiari, aliisq; rebus illicitis abstineant, verbum Dei prædicatum attentè & diligenter auscultent, & primarias etiam concionis partes calamo exceptas, in libellos ad id paratos referant, & instituta repetitione à Præceptoribus, viva voce iis & exprompta memoria reddant,

3. Die-

3.
Diebus Lunæ, Martis, Mercurii & Veneris quintæ tantum classis pueri, vespertinis precibus interfint: concionem verò hebdomatariam, die Martis, soli Primarii, & die Jovis, omnes omnium classium pueri & discipuli frequentent; id quod etiam die Veneris observandum erit, quamdiu quidem preces publicæ continuabuntur.

C A P U T V.

De moribus in cubiculo.

1.
Non abs re dictum fuit à sapiente Antiquitate; Aurora Musis amica. Quare assuefiant alumni & discipuli hujus Scholæ, ut tempore quidem æstivo signo dato in puncto horæ quartæ, & hyemali, quintæ, vel etiam citius surgant, & postea elapso primo horæ quadrante, ad lectionem Bibliorum & preces matutinas in locum destinatum conveniant; quod idem etiam circa preces vespertinas, hora videlicet octava utroq; tempore, æstivo & hyemali, faciendum erit, sub mulcta scholastica.

2.
Prius autem manus & faciem purè lavent, ora eluant, capillos peccant, ungues refecent, calceos tergant.

3.
Cubicula deinde & in iis lectisternia sua munda conservent, & statuta hora sterni sibi, pavementum verò verri curent.

4.
Urina, stramina & quisquiliæ, quamprimùm quidem per tenebras & lectiones audiendas fieri licet, per portam in profluentem asportentur. Exeuntes introeuntesvé

tesvé cubicula sua non confertim, & quasi cum impetu,
sed modestè & ordine ascendat & descendant.

5.

In precibus secundum ordinem cubiculorum con-
sident, & finitis illis eodem ordine ascendant sine
strepitu.

6.

Candelas & lychnos ardentés secum in cubicula
minimè importent, panem verò & edulia à mensa secum
illata includant, aut aliis & quidem pauperioribus con-
ferant.

7.

In cubiculis modestè sese gerant, non rixentur, non
pugnis certent, non obscœna loquantur, non clament,
non ludant, non potent.

8.

Neq; etiam gladios aut alia quævis arma in cubicu-
lis suis habeant, sed apud Rectorem ea deponant.

9.

De fenestris in arcam subjacentem aut pomœrium
nihil prorsus dejiciant aut effundant.

10.

Vasa quibus munditiei aut necessitatis gratia utun-
tur inquilini, in ipsis cubiculis ne effundant aut frangant,
sed ad locum ea consuetum deferant & quotidie eluant.

11.

Post octavam vespertinam, quæ quieti nocturnæ
utroq; tempore hyemali & æstivo destinata est, in cubicu-
lis omnis Musica quiescat.

12.

Priusquam verò cubitum eant, ratio studiorum re-
quirit, ut ea, quæ per totum diem ex præceptoribus vel

B

aliun-

aliundè audiverunt, vel ipsi etiam legerunt & didice-
runt, in memoriam sibi revocent, & periade Pythagori-
cum illud occinant; τῆ παρεβαν; τί δ' ἔρεξα; τί μοι θεον ἔκ
ἔτελέσθη; quo prætergressus, quid gestum in tempore,
quid non &c. Ac si benè quid egerint, Deo id acceptum
ferentes, illi devotè gratias agant; sin malè, noxam de-
precati seriò, de vitæ emendatione in posterum cogitent.

13.

Atq; ita precibus & gratiarum actioni indormiant.

14.

A precibus verò matutinis & vespertinis æstivo
tempore non excurrant; quin potiùs in cubiculis vel in
ipso lectorio, manè cum silentio & attentione, ad lectio-
nes sese præparent.

15.

Alterius autem locum in cubiculis nemo invadat,
sed suo quisq; confideat, & supellectilem librosq; suos
bono ordine compositos paratosq; habeat.

16.

Tabulas, pulpita, mensas, & interstitia in scio Re-
ctore ne permutent vel auferant, multò minùs legum ta-
bulas & alia in ludo suspensa violent.

17.

Quod si quis seras, claves, fenestras & alia fregerit,
corruperit, aut læserit, ille sumptibus suis ea reparare
compelletur, & hujus malitiæ suæ pœnam sustinebit con-
dignam.

18.

Claves adulterinas ne habeant; & qui è cubiculo suo,
vel incuria, vel etiam alia quavis ratione quid amiserint,
Rectori statim indicare debent.

19. Parie-

19.

Parietes carbonibus, vel picturis deformibus neq; in cubiculis suis, neq; aliis in locis contaminent; multò minùs libros nugatorios, carmina fæda, & picturas obscenas coëmant, legant, aut in conclavibus suis habeant.

20.

Qvo tempore studiis & repetitioni vacandum est, in cubiculis suis, tempore præsertim æstivo, januas habeant apertas, & nec canendo, nec quacunq; re alia cæteris suis condiscipulis & contubernalibus studiorû tractationi insistentibus, molestiæ & impedimento sint.

21.

Ante cubricula ludos non exerceant, neq; deambulent; neq; etiam peregrinum secum in cubiculo per noctem retineant, multò minùs ipsi foris pernoctent absq; Rectoris & Inspectoris voluntate & consensu, sub multa Scholastica.

22.

Qui è Schola abfuerit biduum sine venia aut permissione Rectoris & Inspectoris, ille reversus à mensa abstineat octiduum; qviverò qvatrimum emanferit, & mensa careat per octiduum, & simul plectatur arbitrariè; qvi deniq; longius octiduo se subduxerit, planè beneficio cibandi privetur.

23.

Ordinem studiorum præscriptum, sine qvo parùm aut nihil proficitur, in cubiculis suis habeant, eumq; accuratè & diligenter observent.

24.

In qvolibet cubiculo is, qvem doctrina & moribus cæteros antere judicabit Rector, reliqvorum Inspector & præfectus esto.

B 2

25. Et

25.

Et quandoquidem Christianæ charitatis vinculum requirit, ut alter alteri in adversa præsertim valetudine assistat; ideo contubernales sibi invicem succurrant, aliorum ægrotantium curam gerant, & necessaria subministrent.

26.

Discessuri nihil secum auferant eorum, quæ ad cubacula pertinent, sed cuncta ibi relinquant integra & incorrupta.

27.

Prius verò quàm hinc discedant, causam scripto aliquo comprehendant, Rectori exponant, & gratitudinem suam erga amplissimos hujus Scholæ Patronos, Inspectores, Præceptores, & reliquos Nutritios declarent, clavemq; simul tradant Rectori.

28.

Qui per unum mensem abfuerit è Schola, sine Rectoris permisso, illius nomen ex albo deleatur: sin autem reversus, justas absentia suæ causas allegaverit & probaverit, ex judicio & consensu Rectoris denuo admittatur.

29.

Qui clam è Schola, & præceptoribus infalutatis auferent, sive delictum aliquod conflaverint, sive non, isti ut reducantur, & pro delicti qualitate plectantur, postea verò cum ignominia ejiciantur, & nomina eorum in tabella descripta Majoris Auditorii parieti affigantur, curæ erit Rectori cæterisque Præceptoribus. Qua in re Amplissimus hujus Urbis Senatus ipsis minimè defuturus est.

30.

Quicumq; per mensem integrum non numeraverit didactrum suum, cum possit & debeat id facere justo tempore, numero reliquorum discipulorum eximatur.

C A.

CAPUT VI.

*De lectionibus aliisque exercitiis Scholasticis,
eorumque instrumentis huc pertinentibus, & quid
facere conveniat discipulis.*

1.

Ad lectiones consuetas in puncto horæ adsint, & prius
quam initium lectionum à Præceptoribus fiat, omnes
in Auditorium conveniant, ad celebrandum Deum pre-
cibus & cantilena aliqua sacra. Qui verò justo tempore
non adfuerit, graviter ab Inspectore puniatur.

2.

Suam dehinc quisque Classem modestè conscendat,
suoque loco sedeat & animi auriumque operam Præceptori
unicè addicat.

3.

Quod si ipse prius lectionem, quæ à Præceptore
proponetur & explicabitur, attentè perlegerit, & citius
eam & facilius percipiet, & studiis suis in universum
plurimum consulat.

4.

Libros, chartam, atramentum, calamum, & alia id
generis ad discendum necessaria instrumenta Scholasti-
ca, veluti arma Musarum in militia hac literaria, sem-
per in promptu habeant, & quæ audiverint, fideliter an-
notent; non peregrinentur cogitationibus, multò mi-
nùs alia agitent cogitentve, sed suum quisque officium stu-
diosè & sedulò faciat & exequatur.

5.

Ubi jam recitare aliquid iussi fuerint, operam dent
omni loco & tempore ut expeditè & clarè, articulatè &
distinctè loquantur & pronuncient, ut ita pronuntiatio
vocem pariter atque memoriam exercent.

6. Inter

IV T 6
Inter recitandum alter alteri nihil suggerat, neq; ipse
librum inspiciat sed *ἄλλο τὸ σὺν αὐτῷ* omnia proferre stu-
deat id quod maximum confirmandæ stabilendæq; me-
moriæ subsidium erit.

7.
Schola finita modeste quisq; egrediatur lectorio,
& in cubiculo suo ea, quæ audiverit, frequenter & dili-
genter repetat, inq; succum & sanguinem, quod dicitur,
vertat.

8.
Scripta, quæ à Præceptoribus dictabuntur hebdo-
matim, accuratè diligenterq; suo quisq; Marte, confici-
ant, statutoq; tempore in charta pura eleganter descri-
pta præceptoribus exhibeant.

9.
Operam autem dent sedulo ac diligenter alumni &
discipuli in universum omnes, ut in oratione tam soluta,
quàm ligata linguæ utriusq;, græcæ & latinæ, quotidie
sefe exercent, memores illius versiculi;

Nulla dies abeat, quin linea ducta supersit.

10.
Adhibita jam censura scripti à præceptore accu-
rata, statim semel atq; iterum totum percurrant, & ubi &
quo modo peccatum fuerit in scribendo, serio secum co-
gitent, & attendant.

11.
Quò autem feliciùs in scribendo & loquendo versa-
ri possint cotidiè, diaria sibi conficiant, hoc est codices
dictionum simplicium, phrasium, sententiarum, exem-
plorum, proverbiorum, in utraq; lingua, & auscultatione
quotidiana & observatione eos augere & locupletare
studeant,

studeant, ut hoc modo scientiæ et doctrinæ supellectilem
indies sibi ampliorem comparent.

12.

Cum autem verus studiorum fructus sine perpe-
tuitate quadam ac constantia in hoc genere nullus sit,
non satis est, audire et annotare necessaria, nisi etiam
quotidie in succum et sanguinem, quod dicitur, ca ver-
tantur.

13.

Quæ in Schola aguntur, foras non eliminent, neq;
ad alios deferant.

14.

Deniq; fructus etiam quoscunq; sive maturos, sive
immaturos, nemo vel inquilinus, vel externus, secum
importet.

C A P U T VII.

De moribus puerorum in Mensa.

1.

ANte vel post cibum omnes ac singuli preces ordina-
rias attentis et devotis animis habeant, et dicant, et
inprimis illi, qui vel iussi fuerint, vel quos ordo tetige-
rit, aperte, clarè distinctè et tardè pronuncient.

2.

Nemo autem preces, quæ saluberrima sunt studio-
rum et omnis felicitatis media negligat sed ubi manè ve-
speriq; frequentabuntur, omnes illis assurgendo intertint.

3.

Prælegentem etiam omnes serio et diligenter au-
scultent, ut veluti corpus cibo, sic animus pabulo verbi
divini et sacrarum literarum pascatur et enutriatur.

4. Le-

4.
Legendi munere qui funguntur, illi clarè, apertè,
distinctè & expeditè legant & orent.

5.
Orbes in cubicula sua à mensa ne auferant, mul-
tò minùs eos, aut mensas etiam, ollas & similia corrup-
pant, & frangant, mappas lacerent, aut cultris discin-
dant.

6.
Externi & peregrini inquilinis in cœna aut pran-
dio molestiam ne exhibeant, multò minùs ab iis ad men-
sas recipiantur.

7.
Qui vasa, in quibus carnes & edulia afferuntur,
fregerit aut perdiderit, ea sumptibus suis reparet & por-
tione sibi debita defraudetur.

8.
Distributionem eduliorum, carniùm & aliorum,
quæ afferuntur, ita inter sese faciant, ut æqualitas obser-
vetur, & nemini debita sua portio detrahatur vel aufera-
tur. Absentium verò portiones expectantibus fideliter
exhibeantur, submulcta I. & pro quolibet portione.

9.
Foris absq; permisso Inspectoris non prandeant aut
cœnent.

10.
Post sumptum deniq; prandium & cœnam gratias
Deo agant, & caput aliquod ex doctrina Catechetica vel
etiam Psalmum; diebus verò dominicis & festis Evange-
lium latinum precibus adjungant.

CA-

CAPUT VIII.

De moribus puerorum extra

Scholam.

1.

Egredientes Scholam modestè sese gerant, cum silentio sine omni tumultuatione & vociferatione.

2.

Similiter in via publica segniter haud incedant, neq; scurriliter cursitent, sed medium ubiq; tenentes, lento progrediantur gradu.

3.

Brachio exerto, aut pallio ab humero volante ne incedant sub pœna media, vel majore etiam, si sæpius deprehensi fuerint.

Sodalitia & commercia improborum, quæ non raro optimos quosq; corrumpunt, & ad omnem nequitiam & impietatem impellunt, omnibus locis & temporibus fugiant, & detestentur probis verò, & honestarum rerum studio deditis, sedulo adhæreant. Nam prava sodalitia perdunt, honesta excitant ac confirmant bona ingenia.

Magistratui Academico & Urbico, ceterisq; in dignitate constitutis & præcellentibus viris, civibus item honoratis & senioribus, & præcipue Præceptoribus & Nutritiis suis, eorumq; Uxoribus, aut viduis, aliisq; fœminis honestis, quovis loco reverentiam & observantiam debitam, nudato capite exhibeant. Nam honor ille non est in honorato sed in honorante, inquit summus Philosophorum Aquila.

6 In

6.
In cellis vinariis, popinis aut lustris ebriorum ne
morentur, compositandi gratiâ, neque etiam otiosi ibidem
consistant & ora advertant.

CAPUT IX.

De moribus in deductione funerum.

1.
IN deductionibus funerum eo, quo singuli in classibus
suis ordine collocati sunt, semper procedant, & de loco
inter eundem nunquam pugnent, aut inter se invicem di-
gladientur.

2.
Ad distributionem funeralem, quæ ante ædes non-
nunquam institui solet, iterum atque iterum ne revertan-
tur, sed portione sua, quam classis peculiariter cuique at-
tribuit, contenti acquiescant. Secus facientes classium
præfecti observent, & Rectori & Inspectori statim, ubi à
funere in Scholam redierint, indicent.

3.
In ipsa funeris processione non petulanter agant,
non cursitent, nugentur, garriant, aut etiam clam sese
subducant, sed alacriter canant, & qui præcedunt, poste-
riores, & hi vicissim illos, ut inter cantandum omnis
dissonantia vitetur, observent.

4.
In cœmeterio temploque ordinem suum tueantur, &
modestè sese gerant, ne concio turbetur, & præsentium
attentio in auscultando impediatur.

5.
Peractis denique funeralibus, ordine vicissim conve-
niente, incedant, & rectâ per Urbis plateas in Scholam
sine ambagibus transeant.

CA-

CAPUT X.

De officio Scholasticorum in obvenda

Currenda; ut vocant.

1.

AB antiquo receptum est in hac Schola, ut quatuor constituantur cœtus, juxta quatuor Urbis hujus circulos, qui cantando statis diebus, Solis nimirum, Martis, & Jovis, finita vel concione, vel lectione pomeridiana, vel etiam peractis funeralibus, Eleemosynas ostiatim colligant. Ea consuetudo deinceps quoque servetur, & decantationibus illis publicis, per totam Urbem frequentandis, intersint omnes Scholæ hujus tam incoliti, quam externi, nemine prorsus excepto, ne quidem ipsorum Præceptorum famulis. Qui abfuerit, nihil prorsus ex collectis illius septimanæ percipiat.

2.

Ut autem quilibet cœtus ex triginta ut plurimum discipulis constans, peculiarem suam habeat regionem, quam cantando, dictis diebus, circumire solet; ita alter alterum in plateis observare debet, ne in uno forsan loco concurrant, & sub initium canendi sibi invicem impedimento sint, vel etiam dissonantiæ alicujus causam præbeant.

3.

Eas verò cantiones in publico canant, quæ singulis diebus dominicis aut festis, in conventu Ecclesiastico, cantari consueverunt, quas singuli etiam, qui Eleemosynis collectis frui volunt, descriptas habere aut Cantionali Joh. Hermanni Schein uti semper debent.

4.

In plateis verecundè & modestè incedant, lento gradu progrediantur, & cantionibus solum attendant, nec

ex uno cœtu in alterum, sine consensu Rectoris aut Cantoris, evagentur.

^{5.}
Qui Collectores futuri sunt, illi quicquid datum fuerit à civibus aliisve, id totum è vestigio pyxidi immittant, vel ut à civibus ipsis, aut etiam famulis eorum immittatur, curent. Qui secus fecerit, & vel ipse retinuerit, vel quocunq; modo suppresserit eleemosynam, prævia castigatione, Schola excludatur.

CAPUT XI.

De Sermone.

^{1.}
OMnes ac singuli hujus Scholæ Discipuli in tribus præsertim superioribus classibus latinè loqui omni loco & tempore student, tum cum ipsis Præceptoribus, tum etiam inter sese, ut ita latinitati ab ineunte ætate magis magisq; assuescant: secus facientes, quotiescunq; deprehensum fuerit, mulctam unius ternarii exsolvant.

^{2.}
Sermo autem eorum nullatenus à pietate, & honestate abhorrere debet, & idcirco de rebus obscænis, turpibus, flagitiosis, fictis & falsis verba nunquam faciant, multò minus de cæteris sinistrè, perversè, & temerè loquantur, quin omnem potiùs in dictis & factis impietatem, improbitatem & lasciviam, omni loco & tempore, ut pios, probos & ingenuos adolescentes & pueros decet, fugiant ac detestentur.

CAPUT XII.

De vestitu & cultu corporis.

^{1.}
Vestitus eorum, qui Scholæ hujus inquilini & alumni esse

esse volunt, honestus & disciplinae vitaeq; Scholasticae
maximè conveniens esse debet.

2.
Idcirco nemo discipulorum vestimenta scissa, aut
etià varii & diversi coloris, prout mores hujus seculi fe-
runt, gestet, multò minus prolixiores nutriat capillos, to-
tam fermè faciem obtegentes, sed maturè eos sibi præci-
di curet, & alias deniq; ineptias & sordes omnes in ami-
ctù penitùs aversetur, contra mundiciem & elegantiam,
quæ ingenuo convenit adolescenti, studiosè conlectetur.

CAPUT XIII.

De Exercitiis Corporis.

1.
EXercitationes corporis honestas & licitas ita insti-
tuant, ut recreationi animorum maximè condu-
cant, & ad studia liberalia magis magisq; exluscitent &
exacuant discentes.

2.
A tesseris autem & chartulis penitùs abstineant, nec
ludendo invicem pecuniam, libros aut pignora suppo-
nant, sub gravi animadversione ferularum; larvatos etià
offendi sese sub pœna exclusionis caveant.

CAPUT XIV.

De Officio Praefecti in cubiculis.

1.
Hujus Officium primarium est, ut reliquis condisci-
pulis suis veluti facem præferat ad pietatem, probita-
tem, obedientiam, & diligentiam, eosq; secum quotidie
ad has aliasq; virtutes similes verbis & vitae actionibus
excitet.

C 3

2, De in

2.
Dein mores & studia inquilinorum suorum diligenter observet, errata & delicta eorum modestè corrigat, non facientes officium aut discursantes moneat & contineat, immorigeros verò & præfractos ad Rectorem deferat.

3.
Ad preces etiam tardiùs venientes, aut sine causa absentes, vel extra Scholam pernoctantes, Rectori & Inspectori indicet. Quod si neglexerit in uno vel altero partes officii sui, ipse pœnæ subjiciatur.

4.
Tabulatùm item & cubicula, statis temporibus ut purgentur, sordes tollantur, auferantur & extra Portam maturè deferantur, curare debet.

5.
Leges privatas sine consensu Rectoris ne condant: & si forte àn ita visum fuerit Rectori, duntaxat eas conscribat, quæ & pietati & moribus honestis sunt conformes, & non solùm ipse postea observet illas, sed ut ab aliis etiã contubernalibus suis ferventur, studiosè provideat.

6.
Quærentem aliquid in studiis non morosè, sed fideliter instituat, & in omnibus ad conservationem disciplinæ Scholasticæ suum quoq; ἑπιβάλλον μέρους conferat.

CAPUT XV.

De Officio Quæstorum.

1.
Quæstores catalogum suæ classis condiscipulorum, clepsidram item & cretam in promptu habeant, ut quando & quoties opus sit, nomina eorum legi, recenseri & cætera expediri possint. 2. Ad.

2.
Adsint autem ipsi prius, quàm hora lectioni, con-
cioni aut precibus destinata audiatur, & absentes aut tar-
dius venientes, discurrentes, garrientes immodestiùs se-
se gerentes & tumultuantes, in Schola, templo, deductio-
nibus funerum & plateis semper ubiq; observent, anno-
tent, & Præceptori tum temporis Inspectori indicent. Si
neglexerint, vel studiosè & veluti data opera dissimula-
verint, multam ipsi sustinebunt.

CAPUT XVI.

De Officio Calefactoris.

1.
CAlefactoris munere qui fungitur, is prius semper ex-
surgat, & summo mane calefaciat; semper verò &
ubiq; ignes & lychnos cautè & circumspectè habeat, &
tractet.

2.
Idcirco neq; in cameram lignorum candelam infe-
rat, neq; ullibi locorum, unde periculum incendii oriri
possit, temerè ponat, aut relinqvat.

3.
Inquilinos in tempore, horâ nimirum quartâ, æsti-
vo, & horâ quintâ hyemali, signo campanulæ dato, exci-
tet, servato justo quadrantis intervallo, & utroq; tempo-
re, post preces vespertinas, ostium claudat.

4.
Hinc lychnos in tabulato & propè scalas tempestivè
& accendat ipse, & rursus unâ cum candelis ante fores, in-
strato lapide, extingvat.

5.
Fores, valvas & fenestras Scholæ accuratè claudat
& re-

& recludat, nec ulli inquilinorum, quicumque etiam sit, claves tradat & committat, sub periculo amittendi officium suum.

6.
Ligna & lignorum segmenta, opera inquilinorum mature importet & custodiat.

7.
Purgantes ad officium sedulo compellat.

8.
Post cibum sumptum orbes & mappas diligenter colligendas & cœnaculum quotidiè purgandum curet.

9.
Lectiones verò & operas, ordinarias & quotidianas unà cum cæteris diligenter obeat, nec ullo tempore eas sub quolibet etiam excusationis prætextu temerè negligat.

CAPUT XVII.

De Officio purgantium.

1.
Horum munus præter cætera est, ut quotidiè auditoria et cœnaculum purgent.

2.
Ferulas & baculos in promptu habeant, et Præceptoribus requirentibus quovis tempore præbeant.

3.
Denique quisquillas et purgamenta alia extra portam deferant et seponant; Quod si unum horum neglexerint, virgis castigentur.

CA-

CAPUT XVIII.

De officio custodum, sive eorum, qui curant funera.

1.
Custodes funera Rectori & cæteris Præceptoribus in-
dies maturè, facta inscriptione tabulæ usitata, indicēt,
iisdemq; fideliter & sine omni fraude, id quod debetur
& acceperunt, reddant; Id quod similiter etiam Mini-
stris Ecclesiæ fieri debet.

2.
Ante deductionem funeris tempestivè, & quidem
priùs quàm signum detur campanula, præstò sint, & qui-
nam ex quintanis præcedere, qui verò ordine subsequi
debeant in funere, ipsi provideant & constituent.

3.
Cruciferum verò nunquam abire sinant, nisi quoq;
reliqui adsint & sequantur statim pueri.

4.
Quintanos extra ordinem cursitantes, item garru-
entes & clamitantes, in via publica & alibi, dehorten-
tur, sedulò & diligenter observent, eosdemq; Baccalau-
reo funerum indicent, ut reversi ex funere mulctentur
& corrigantur.

5.
In distributione ut omnia fiant decenter, & absq;
confusione procedant, etiam atq; etiam prospiciant.

6.
Pueros è cœmeterio in Scholam remeantes ipsi
sequantur, evitandæ & avertendæ omnis petulantia
& inordinationis gratia.

7. Ultra

ULTRA constitutum præmiolum funerale ne quid
postulent, sed usitato contenti sint, sub multa 6. gr.

8.

In deductionibus funerum generalium, ut vocant,
cætus Scholasticus ob alia minora, vel etiam omnium in-
fima funera, non distrahatur,

Si quid verò præter ordinem faciendum, præscitum
& voluntate Rectoris illud faciant, sub pœna carceris.

10.

Quod si, qui in aliis neglectum fuerit hac in parte
semel atq; iterum, grossum exolvat delinquens multæ
loco, pro quovis errato, sin sæpius, ab officio ille penitus
removeatur.

C A P U T XIX.

*Continens leges utriusq; Chori Musici, tum
temporis, ubi sacra in templo peragenda sunt.*

1.

OMnes Scholæ hujus inquilini, uti etiam externi proxi-
mè cohabitantes, maturè in vaporario congregentur,
& ordine observato, templum modestè & absq; omni
strepitu ingrediantur.

2.

Ad ædes autem sacras D. Nicolai die Sole sese con-
ferant ubi pulsus campanula ad D. Thomæ datus fuerit;
à meridie verò statim post primam auditam, nisi matu-
rius jussi fuerint à Præceptoribus eò sese conferre.

3.

Templum ingressi, subsellia sine strepitu occupent,
& tam diu morentur qvieti, usq; dum ad pulpita, canendi
gratiâ, vocati fuerint.

4. Pul-

4.
Pulpitis verò ita adstant singuli, ne alter alterius prospectui officiat, cumq; in canendo quovis modo turbet aut impediatur.

5.
Dum organa sonant, ipsi ad scamna sessum ne abeant, sed ad pulpita consistentes ordine, semper parati sint ad cantilenam ordiendam & continuandam, sub multa unius nummi.

6.
Universi autem & singuli alacriter canant, tactu, ut vocant, accuratè & reliquorum adstantium vocibus diligenter observatis.

7.
Inter canendum nudato sint capite, nisi forsan id intentum prohibeat frigus.

8.
Finitis cantionibus, ante quidem concionem, modestè & sine concertatione quisq; locum suum occupet, inq; silentio & attentione concionem auscultet.

9.
Cancellis verò, si locus vacet, adstare possunt ii, qui Bassum aut Tenorem, uti vocant, modulantur, ut juxta cum Praeentore germanicam cantionem exordiri possint. Quod idem etiam fieri necesse est post concionem.

10.
Ab esu pomorum & quorumlibet aliorum fructuum, tam inter canendum, quam sub ipsa concione, penitus abstineant, sub multa 3.8.

11.
Finita deniq; concione non confertim proruant, sed quisq; pulpitum suum accedat modestè & sine strepitu, et

tu, & nonnunquam maturius etiam, præsertim in festi-
tibus, id suspenso gradu facere debent.

^{12.}
Nemo autem se subducatur, vel clam vel palam, etiam
inter canendum, ante aut post concionem, nisi Præce-
ptoris consensum impetraverit, sub multa 6. gr. cujus-
duplum dabit absens, quadruplum, die festo, contra hanc
legem delinquens.

^{13.}
Qui integrum mentem sine indultu Inspectoris
choro templi abfuerit, ejus nomen ex catalogo curren-
tium deleatur.

^{14.}
Ad sacram synaxin accessuri ante omnia in gratiam
redeant cum Præceptoribus suis, facta deprecatione fe-
ria & ardente delictorum suorum, & pridie dominicæ,
hoc est die Sabbathi post preces vespertinas, confessio-
nis suæ exponendæ gratiâ, Ministrum Ecclesiæ reveren-
ter adeant, ut postero die officium canendo, ante concio-
nem, in Choro facere possint.

^{15.}
A perceptione verò sacre cœnæ dominicæ statim
in chorum revertantur, & quæ suarum partium sint, dili-
genter exequantur.

^{16.}
Censores utriusq; chori constituantur certi, qui
absentes, vel tardè venientes, garrientes, & clam abeun-
tes, aut quocunq; etiam modo adversus leges hæc de-
linquentes observent, ac Præceptori indicent.

C. A.

CAPUT XX.

Complectens leges Concentorum.

1.

Ordines Concentorum primarii bini sint, & in utroq;
octoni à Cantore, consentiente Rectore, recipiantur.

2.

Sed in primum, si non sint inquilini, cæterisq; voce
& promptitudine canendi præstant, nullatenus admit-
tantur.

3.

Judicium verò de voce & peritia canendi sit penes
Cantorem.

4.

Qui cantilenas utriq; etiam choro describendas &
canendas subministret, dijudicet & definiat.

Utriusq; tamen Chori is, qui Cantori magis ido-
neus vilus fuerit, præfectus sit.

6.

Perfectionis in arte Musica; moderationis item &
æqvabilitatis in canendo consequendæ gratia, pericu-
lum quotidie faciant Concentores hora locoq; consveto,
& qui abfuerint, arbitrio Cantoris, quiq; illius vices ge-
ret, puniantur.

7.

In nuptialibus, aliisq; conviviiis honestis eligendis,
primi ordinis Concentores primas obtineant partes.

8.

Præfectus in absentium vel ægrotantium locum
neminem, nisi ipsius Cantoris præscitu & consensu, re-
cipiat.

D 3

9. Nec

9.
Nec ad convivia præter ordinarios, alii sine Cantoris & Rectoris expressa voluntate, accedant, & quicumque sese intruferint, Rectori eos indicent.

10.
Qui abfuerit tùm temporis, quando Concentores ad convivia accersuntur, neque ubi offendi possit, maturè indicaverit, vel aliàs sua absentia, aut cunctatione reliquos Concentores moratus fuerit, grossis ternis mulctetur, si ex primo ille sit ordine, & binis, si ex secundo.

11.
In convivio, quantum quidem fieri poterit, in circulo consistant omnes, ut non solum æqvabilior reddatur harmonia, sed alter etiam alterius cantum & vocem meliùs exaudiat & observeat.

12.
Qui poculis, ubi cantandum est, operam dat, aut sermonibus convivarum vel aliis etiam nugis aures accommodat 18. 8. mulctetur.

13.
Qui canendi officio tam negligenter fungitur, ut vel ipse aberret, vel alios impediatur, mulctam sex nummorum patiatur.

14.
Omnes ac singuli attentè & consideratè canant, & Præfecto monenti auscultent. Qui verò refragatus fuerit ipsi, aut etiam plùs potus, iste tribus grossis plectatur.

15.
In ædibus civium ne rixentur aut tumultuentur, neve aliquid frangant, vel auferant, sub mulcta 6. 8.

16. Pe-

16.

Pecunias à Convivis datas, fideliter immitti curent in capsulâ obferatam; et qui omiserit hoc, 6. ℥. exolvat.

17.

Finitis conviviiis, Præfectus omnes ac singulos una secum in Scholam redire jubeat & compellat. Qui secus fecerint, vel obedire noluerint, mulctam modo dictam præstent.

18.

Præfectus autem, si deliquerit ipse, vel alios delinquentes non monuerit, duplum solvat.

19.

Qui in ædibus civium aliquantò immodestiùs se gesserit, sex grossis mulctetur, & Rectori indicetur, ut in eum severiùs, ob nimiam petulantiam, animadvertatur.

20.

Vesperis, quoad poterunt, tempestivè in Scholam revertantur, & ultra decimam in conviviiis nunquam morantur, nisi forsan ex ordine Academico & Senatorio adsint Viri præcellentes, in quorum honorem aliquandiu cantiones adhuc protrahendæ. Nolumus autem semper fieri potestatem iis edormiendi; vel si ita interdum videatur Rectori & Inspectori, non tamen penitus omitantur & negligantur lectiones antemeridianæ.

21.

Cæterùm omnem pecuniam apud Rectorem quovis tempore uterq; Præfectus deponat.

22.

Similiter mulctas etiam apud Rectorem Præfectus profiteatur, & in suis eas tabulis simul consignet.

23.

Cumq; circa festum Christi Natalitium adhuc tres accedant concentorum ordines, qui juxtâ cum primo & secundo

Secundo sternas colligunt, regiones autem Urbis in sex partes dividantur; duas sibi eligat partes, quas velit, Ordo primus, & quidem juxta Dnm. Consulum & Inspectorum Scholæ ædes, in quacunque illæ parte sitæ erunt; idque propterea, quod Ordo iste primus prior etiam & potior sit reliquis, arte & industriâ canendi, & collecta ab illo pecunia in quindecim ferme partes distribuatur. Post primum verò cœtum regionem sibi sumat secundus, post secundum tertius Ordo, & sic deinceps.

Regiones seu partes Urbis, in quas ea dividitur, sunt

1. Ambitus templi ad D. Thom. vicus à castello nomen habens, platea Thomana & forum.
2. Vicus Catharinæ dicatus, unâ cum platea Grimmeni.
3. Vicus Petrinus unâ cum recenti & vetere foro.
4. Platea à fœno nomen sortita; vicus à Lanionibus sic dictus; ambitus unâ cum platea à Monachis Barfussarianis appellata, & denique Bruletum ad vicum usque Catharinæ.
5. Vicus à ditioribus nomen habens; platea salina, unâ cum proxima adjacente & futoribus tributa; Bruletum item à vico Nicolaitano, ad vicum usque Catharinæ.
6. Vicus Nicolaitanus unâ cum ambitu ad templum D. Nicol; vicus item ab equitibus nuncupatus, & pars Bruleti à vico modo dicto Nicolaitano, ad collegium usque beatæ Virginis.

Super sunt plateæ à claustris, calcaribus, pannis, & lictoribus sic dictæ, quæ omnes ac singulæ in transitu simul circumiri possunt.

24.
Rectori collectam suam tradant singuli Praefecti,
neq; quicquam distribuatur, in scio Cantore.

25.
Tempus distributioni pecuniae à primo ordine col-
lectae definitum est terminus Paschatis & Michaelis.

26.
De pecunia primi ordinis, tempore hyemali colle-
cta, duo detrahantur imperiales, qui debentur Rectori
& Praefecto, itemq; quatuor floreni pro Calfactore, resi-
duum verò in partes undenas aequaliter dividatur, qua-
rum singulae Conrectori & Cantori integrae dentur.

27.
Concentores simul sumti quinq; undenas cum una
tertia undena (adeoq; duplum hujus tertiae singuli) ac-
cipiant, Et Residuum, quod olim Locatis numeratum
fuit, nunc inter Collegas ordinarios pro labore Inspe-
ctionis hebdomadariae ad se devoluto aequaliter distri-
buatur.

28.
Pecunia autem aestivo semestri collecta à primo or-
dine, demptis tribus florenis, qui Conrectori debentur,
& Joachimico uno, qui praefecto, quatuor deniq; florenis,
qui Calfactori, in decem distribuatur partes, quarum
unam Rector & Cantor simul, & Concentores quinqve
decimas cum tertia unius decimae accipiant; reliquum
verò Praeceptoribus cedat.

29.
Ceterorum ordinum strenae & collectae aliae fini-
ta collectione, aequaliter in partes octonas dividantur, ut
quilibet Concentorum ratam suam accipiat, detracto

E prius

prius eo, quod Præfecto, Calfactori, Illuminantibus &
pro partibus debetur.

30.

Post factam distributionem pecuniæ Rector id,
quod in ærario ex mulctis exolutis & discedentium reli-
ctis portionibus remanet, præfente Cantore, publicis ra-
tionibus, quovis semestri, ascribat.

31.

Et quidem quartam partem ex mulctis præfectus
retinet, residuum verò apud Rectorem deponatur, & ex
sententia & iudicio Cantoris in libros cantionum com-
parandos convertatur.

32.

Nemini autem Concentorum quicquam amplius,
ultra dimidiam portionem, uti nec discedentibus, ante
ordinarium distributionis Terminum supra definitum,
prænumeretur.

33.

Si quid gravius peccatum fuerit ab aliquo, arbitrio
Rectoris puniatur, vel etiam ex Concentorum ordine
ejiciatur.

34.

In numerum concentorum receptus, sub prima sta-
tim distributione, 6. grossos de rata sua portione relin-
quat, ad libellos Musicos comparandos.

35.

Ex Concentorum cœtu nemo excludatur, nisi co-
gnita prius causa, & à Senatu Patrono & Inspectore pro-
bata.

36.

Atq; hac brevi & nuda legum Scholasticarum *ἰκία-
ῥαφία*, cum discipulorum hujus Scholæ officia, secun-
dum.

dum partes singulas, ordine descripta sint, operam deinceps dabunt, omnes ac singuli, ut in hac sanctissima vocatione non solum ob oculos præscripta legum istarum assidue habeant, sed & secundum has vitæ, studiorum & laborum suorum rationem omnem sedulo & diligenter instituant. Non enim sufficit, in charta aut tabula consignatas extare leges bonas & salutare, sed & animis hominum infigi & vita atq; actionibus exprimi illas oportet. Quod nisi fiat non ipsa re, sed nomine; non viva, sed mortua lex erit. Etenim quod corpus sine anima, Mundus sine Sole, id lex omnis sine executione.

DEUS æternus, Pater Domini & Salvatoris nostri JESU CHRISTI, qui author est τῆς ὑπαξίας in natura, legumq; honestarum omnium; qui semina virtutum & obedientiæ pectoribus hominum in sevit, ardorem in discipulis veræ obedientiæ, Spiritus sui sancti gratia, excitet, vitamq; & mores eorum gubernet, ad nominis sui sacrosancti gloriam, Ecclesiæ & Reipublicæ salutem, actionumque omnium tam publicarum quam privatarum, exoptatam felicitatem.

F I N I S.

...um partes singulas, ordine descriptas, operam deinde
ceps dabunt omnes ac singuli, ut in hac sanctissima vo-
catione non solum de oculis scriptura legum istarum
assidue habeant, sed & secundum has vitz studium &
laborum suorum rationem omnem sedulo & diligenter
instent. Non enim iusticię in chartarum tabula conti-
gnatas exerce leges bonas & salutaris, sed & animis ho-
minum insigi & vitare: actionibus experientias oportet.
Quod in rationibus te, sed nomine bonis, sed
motus legerit. Etenim quod corpus sine anima, Man-
dus sine sole, id lex omnia sine executione.

Deus rex, Pater Domini & Salvatoris
nostri Iesu Christi, qui auctor est & creator in-
natus, legumque honestam omnium, divini-
na virtutum & obedientie peccatoribus hominum
inservit, ardorem in discipulis veteris obedientie,
spiritus sancti gratia, exciet, vitamque & mores
eorum gubernet, et dominis in sacrosancti glo-
riam, Ecclesie & Reipublice salutem, actionum
que omnium tam publicam quam privam
salutem, exoptatam felicitatem.

F I N I S

VDTT



h. 91, 14.

LEG

TUI

N

Revisa Ec

utili

A

GEO

Si

O

In

Ig



Lipsiæ

7
A

SE-

sis pro

IS

BIBLIOTHECA
NICOLAIANA

